

in aliis vero, et si de consuetudine Ecclesie teneat, secundum juris rigorem credimus non tenere. » Hæc pontifex.

80. *Ecclesia se non intromittit quoad causas civiles, in præjudicium judicis sæcularis.* — Hinc quantum attinet priorem partem conclusionis, Glossa fin. ibid. patere inquit, quod jurisdictio temporalis non pertineat ad Ecclesiam, nec de ea debeat se intromittere in præjudicium judicis sæcularis: ut c. *Novit. § 1. de Judiciis, et c. Lator. et c. Causam. quæ. 7. Qui filii sint legitimi*, cum similibus. Accedit ratio: quia potestas civilis et ecclesiastica, sunt potestates distinctæ, can. *Cum ad verum. et can. Duo sunt.* dist. 96. ergo hoc ipso potestas ecclesiastica, non debet se intromittere quoad causas civiles in præjudicium potestatis civilis.

81. *Nisi laici litigantes sint de temporali jurisdictione Ecclesie. In terris temporali jurisdictioni Ecclesie subjectis, debent etiam inter laicos servare canones, non leges civiles, ubi discrepant.* — Intellige; nisi laici litigantes sint etiam de temporali jurisdictione ecclesie: nam tunc utraque potestas coalescit in unam; et facta ad papam appellatione in civilibus, nulli alii fit præjudicium. Concordat textus proxime allegatus, ibi: « Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti. » Quinimo ex hoc textu desumitur argumentum optimum, et quasi expressum, quod in terris temporali jurisdictioni Ecclesie subjectis, debeant etiam inter laicos servari canones, et non leges civiles, data inter hos aliqua discrepantia. Abbas cit. c. *Si duobus.* n. 6. et Barbosa, ibid. n. 6. h. t. et alii.

82. *De consuetudine speciali potest tenere appellatio a iudice sæculari ad Papam.* — Altera pars datæ conclusionis, asserens, aliud esse posse de consuetudine speciali alicubi vigente, ex eo patet. Quia talis consuetudo rationabilis est, simulque favorabilis; ut c. *Si Clericus.* 5. et c. *Licet.* 10. de *Foro compet.* Unde nihil impedit quominus possit introduci, ac legitimo tempore præscribi, cap. *ul. de Consuetud.* cum concordantiis.

83. *Non tamen valet consuetudo, appellandi a foro ecclesiastico ad sæcularem. Et cur?* — Nec obstat, quod non valeat consuetudo, ut teneat appellatio a foro ecclesiastico ad sæcularem. Resp. enim, disparitatem esse: quia hoc est contra essentiam appellationis, quæ est provocatio a minore iudice ad majorem. Atqui majus, et dignius tribunal est eccle-

siasticum, quam sæculare, can. *Duo sunt.* dist. 96. etc. *Solitæ.* 6. de *Majorit. et obed. et Extravag. Unam sanctam.* eod. inter *Communes*, cum similibus. Unde non mirum, quod vi consuetudinis possit a foro sæculari appellari ad ecclesiasticum, non autem e converso.

84. *Casus, in quibus a iudice sæculari videtur provocari ad ecclesiasticum, referuntur.* — Dices. Etiam seclusa consuetudine, et spectato jure communi, potest a iudice sæculari provocari ad ecclesiasticum, ergo. Antecedens probatur multipliciter. Sic enim imprimis in c. *Novit.* 13. de *Judiciis*, rex Angliæ denunciavit papæ regem Franciæ, quod venisset contra compositionem juramento firmatam, et facta occasione feudi super comitatu Pictaviæ; quod erat quid temporale. Deinde c. *Ex parte.* 15. de *Foro compet.* dicitur, quod vidua, vel alia persona miserabilis, si in bonis suis, etiam feudalibus, aut sæcularibus opprimatur, seu spoliatur, possit immediate ad iudicem ecclesiasticum recurrere. Ulterius c. *Ex tenore.* 11. § fin. eod. conceditur, quod si iudex sæcularis negligit facere justitiam, possit ecclesiasticus adiri. Tandem hoc ipsum admittitur in casu, quo superior iudex sæcularis non invenitur, v. g. vacante imperio, c. *Licet.* 10. juncta Glossa *¶. Vacante imperio. de Foro compet.* ergo data conclusio non videtur subsistere. Resp. neg. consequent. Nam allegata jura loquuntur in casibus specialibus, atque omnino diversis: idque ostenditur inductione.

85, 86 et 87. *Ac resolvuntur. Viduæ, pupilli, et alie miserabiles personæ rebus suis spoliata, possunt spoliatores suos convenire coram iudice sæculari.* — Imprimis enim in cit. c. *Novit de Judiciis*, non agitur principaliter de aliquo temporali, puta, de feudo super comitatu Pictaviensi; sed ibi agitur principaliter de causa spirituali, nempe de juramento, sive perjurio a rege Franciæ in fractione compositionis juratæ commisso. Quia, ut protestatur ibidem pontifex; is non intendebat iudicare de feudo; sed de peccato in fractione pacis commisso, cujus cognitio indubitanter pertinet ad iudicium ecclesie.

Ad alterum, sive ad c. *Ex parte.* 15. de *Foro compet.* dicitur, id procedere solum, si viduæ, aut pupilli, vel ejusmodi personæ miserabiles ab aliis injuste graventur, vel bonis suis spoliarentur, sicque spoliatores suos convenire velint coram iudice ecclesiastico interdicto *Unde vi*: nam causæ hujusmodi miserabilium personarum, per vim oppressa-

rum, sunt mixti fori, sicque earum defensio spectat etiam ad Ecclesiam saltem cumulative, per textum ibid. juncto can. *Licet.* et can. *Defensionis.* dist. 87. cum similibus. Verum istud duntaxat procedit, si agatur Interdicto *Unde vi*, sive ad repellendam violentiam ipsis illatam, aut recuperandam possessionem eisdem violententer ablatam; nam si vidua, vel alia persona miserabilis, velit agere contra laicum petitorio tantum, sive de proprietate circa rem temporalem, non auditur coram iudice ecclesiastico, nisi in defectum judicis sæcularis, c. *Ex tenore.* 11. de *Foro compet.* estque jam dictum supra eod. tit. 2. de *Foro competenti*, § 7. n. 154. et seqq. ubi plura de hoc.

Ad alia duo capitula dicitur, ea in illis specialibus casibus procedere, ne alioquin actor indebite privetur jure suo, dum nullus alius adest, qui justitiam administrare valeat: vel hanc iudex sæcularis malitiose recusat administrare, sicque merito propter ejus peccatum jurisdictio devolvitur ad iudicem ecclesiasticum. Plura de hoc videri possunt supra lib. 1. tit. X. de *supplenda negligentia prælatorum.* § 3. a n. 45. usque ad n. 49. inclusive.

§ IV.

CORAM QUIBUS, ET QUOMODO PROPONI DEBEAT APPELLATIO?

88. *Appellatio regulariter est proponenda coram iudice a quo.* — Quæritur I. Coram quo iudice appellatio sit proponenda? Resp. I. Regulariter loquendo, appellatio debet proponi ab appellante coram iudice a quo; alioquin ea est nulla, nec habebit effectum suspensivum, et devolutivum. Ita Speculator tit. de *Appellation.* § *Nunc dicamus.* n. 10; Scaccia, tract. de *Appellat.* quæst. 6. n. 1. et seqq.; Barbosa, c. *Ut debitus.* n. 5. h. t. post Rotam in una Salernitana contributionis. 14. novemb. 1614. coram domino Dunozello, et alios; et idem Barbosa, cap. ult. n. 17. h. t.; Pirhing, eod. n. 83. et alii communiter. Idque desumitur tum ex d. cap. ult. juncta Glossa ibid. *¶. Coram iudice a quo.* h. t. tum ex c. *Ut debitus.* 59. eod. In quo posteriori loco dicitur: « Cum autem ex rationabili causa putaverit appellandum, coram eodem iudice causa probabili appellationis exposita, etc. Superior de appellatione cognoscat. » Accedit ratio, quia per appellationem principaliter agitur ad suspendendam, ad rescindendam

sententiam iudicis: unde merito coram eo appellandum est, et non solum in præsentia partis, ne alioquin iudex, ignarus interpositæ appellationis, ulterius causæ illi sese immisceat.

89. *Quid, si copia iudicis a quo haberi nequeat, bene tamen iudicis ad quem?* — Resp. II. Fallit nihilominus data Regula in nonnullis casibus. Et primo quidem, si copia iudicis a quo haberi nequeat, possit tamen haberi copia iudicis ad quem. Nam tunc coram isto erit proponenda appellatio, dummodo postea hoc ipsum intmetur iudici a quo, ne amplius sese immisceat tali causæ: et si secus fiat, postea revocari valeant attentata per ipsum; juxta textum notabilem in l. 1. § *Dices autem.* ff. *Quando appellandum sit*, quæ est canonizata in can. *Biduum.* § *Si quis.* 2. q. 6.

90. *Quando censeatur copia iudicis non haberi?* — Censeatur autem copia iudicis, sive facultas ipsum adeundi tunc haberi, si in publico sui copiam fecerit. Non enim iudex ab appellare volente est necessario requirendus in horto. aut in villa suburbana; sed satis est, quod perquiratur in loco publico, per textum cit. l. 1. *Dices autem.* ff. *Quando appellandum sit.* et can. *Biduum.* § *Adeundi.* 2. q. 6. et notat Barbosa, c. *Ut debitus.* n. 5. h. t. Sigism. Scaccia, de *Appellat.* quæst. 6. n. 18. et 19. citans Rotam decis. 50. alias 29. *Si appellatur a diffinitiva*, sub n. 1. de *Appellation.* in nov. Mysinger, in *Sing. Observat.* cent. 2. observat. 1. cum aliis.

91. *Si neutrius iudicis copia haberi potest, sufficit appellare coram viris honestis.* — Quod si neutrius iudicis copia, seu præsentia haberi possit, tunc appellari potest coram viris honestis, aut una saltem persona authentica, puta notario, adhibitis ei testibus, arg. c. *Ut circa.* 4. de *Election.* in 6. et notat Abbas, cap. ult. n. 3. h. t.; Scaccia cit. quæst. 6. n. 18. 20. et seqq. Tamen in hoc casu necesse est, vel saltem consultum, ut quis coram viris illis protestetur, se coram iudice appellare voluisse, sed copiam ejus habere non potuisse.

92. *Quid agendum, si quis justo metu impeditur, quominus appellet?* — Fallit insuper data regula in casu, quo quis justo metu, sive cadente in virum constantem impeditur, quominus appellet. Nam si is coram iudice a quo, aut si hoc fieri nequeat (eo quod ejus copiam habere non possit, vel ob ejusmodi gravem metum non audeat) coram viris honestis intra decem dies protestetur, se appel-

lare velle (exprimendo simul causas appellationis, saltem in genere, ut puta, quod iniqua sententia contra eum lata fuerit) nec tamen audere appellare, atque hoc ipsum sese coram ipsis protestari: tunc ejusmodi protestans habetur pro appellante, atque intelligitur hoc ipso appellasse. Ita habetur expressum cap. ult. h. t. juncta Glossa, Abbate. in *Summario*, Barbosa, n. 1. et aliis doctoribus ibid. Et merito: ne medium justæ defensionis, quale censetur appellatio, cuiuspiam per metum gravem, atque injuste incussum præcludatur.

93. *Non valet appellatio generalis super omni causa, vel gravamine.* — Quæritur II. Utrum valida sit appellatio generalis super omni causa vel gravamine? Resp. I. Non valet appellatio generalis super omni causa, quæ adversus appellantem quovis tempore moveri posset, text. clar. c. *Inter cætera*. 2. h. t. Neque etiam valet generalis et vaga appellatio respectu cujuscunque gravaminis, quod sibi posset contingere; per textum expressum in c. *Consuluit*. 18. § 1. h. t.

94. *Bene tamen appellatio generalis, quæ est restricta ad certam causam.* — Resp. II. Valet nihilominus appellatio generalis, quæ est restricta ad certam causam: ut puta, si quis appellet ab aliquo iudice super omni gravamine, quod in una causa sibi posset inferri. Ita habetur expressum cit. c. *Consuluit*. 18. h. t. et notat Abbas, ibid. n. 1. et 3; Barbosa, n. 1. et alii communiter. Ratio diversitatis inter hanc, et priorem conclusionem est: quia appellatio non habet locum, nisi possit prætendi gravamen de præsentibus: ipsa enim est inventa ad removendum gravamen cuiuspiam illatum. Atqui in duobus illis casibus, de quibus loquitur conclusio præcedens, nullum potest prætendi gravamen de præsentibus; ergo nec potest in illis locum habere appellatio: nam cessante causa cessat effectus, c. *Cum cessante*. 60. h. t. Secus accidit in casu hujus conclusionis, ubi fit appellatio super omni gravamine respectu certæ causæ, circa quam jam præcessit, vel præcessisse putatur gravamen aliquod de præsentibus, saltem quoad unum articulum: nam istud totam quodammodo causam contingere censetur, ob ejus connexionem, atque unitatem cum tota causa.

95. *Appellans an teneatur exprimere causam appellationis in specie?* — Quæritur III. Utrum appellans teneatur exprimere causam appellationis in specie? Resp. I. Hic est distin-

guendum inter appellationem a sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali; et inter appellationem a sententia diffinitiva. Ita Abbas, c. *Cum in Ecclesia*. 38. n. 6. h. t.; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Appellatione*. n. 153. et seqq. Scaccia, quæst. 14. *de Appellat.* n. 25. et alii. Unde

96. *Appellatio ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, debet fieri exprimendo causam in specie.* — Resp. II. Appellatio ab interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali, debet fieri exprimendo in specie causam appellationis: alioquin appellatio non valet, et appellator istud non observans, reputabitur non appellans, et ad prioris iudicis examen redibit, in legitimis tamen expensis condemnandus. Ita habetur expressum cap. i. h. t. atque procedit non solum in appellatione ad Papam, sed etiam in appellatione ab interlocutoria ad inferiores iudices directa, ob rationes illico afferendas, junctis dicendis infra n. 116. et 117. ac seqq. Concordat c. *Cum speciali*. 61. § *Porro*. h. t.

97. *Nec sufficit, eam duntaxat exprimere in genere, idque exemplificatur.* — Additur notanter, « exprimendo in specie causam appellationis. » Quia non sufficit, hanc exprimere duntaxat in genere, puta dicendo: « Appello ab iniqua interlocutoria, quia me gravasti. » Item non sufficit dicere, « Appello, quia interlocutoria est injusta. » Hæc enim est nimis generalis causa: atqui jura volunt, « appellationis causam exprimi, » ut loquitur textus cap. i. h. t. in 6. Adeo, ut de ejus rationabilitate possit iudex cognoscere, c. *Ut debitus*. 39. h. t. Idque eo magis, quia appellatio ab interlocutoria non potest justificari ex alia causa, quam « in appellatione nominatim duntaxat expressa, » juxta textum in Clem. *Appellanti*. h. t. Quinimo in tantum causa gravaminis, seu appellationis, debet nominatim exprimi, ut non sufficiat illam exprimere generaliter per relationem ad acta, v. g. dicendo: « Appello ab iniqua sententia interlocutoria, et pro causa gravaminis allego omnes causas, quæ ex actis colligi possunt. » Maranta, ubi supra, n. 153. Scaccia cit. quæst. 4. *de Appellatione*. post Rotam decis. 2. alias 7. *Si appellatur*. n. 1. *de Appellat.* in nov. et plurimos alios, quos allegant.

98. *Referuntur casus, in quibus causa gravaminis potest dici nominatim expressa.* — Secus est dicendum, si fieret appellatio ab interlocutoria, per relationem ad certam

partem actorum, in qua diceretur apparere de gravamine: quia tunc causa gravaminis posset dici nominatim expressa; et ideo sufficeret. Scaccia, loc. cit. n. 32. post Rotam, Baldum, et Francum, c. *Ut debitus*. quæst. 12. n. 23. h. t. Similiter causa gravaminis censetur sufficienter expressa, si dicatur: « Appello, quia non attendisti exceptionem pacti, de qua constat ex actis. » Scaccia cit. n. 32. Idem dicendum in similibus.

99. *Appellans ab interlocutoria non potest alias causas in appellatione prosecui, quam nominatim in ea expressas.* — Cæterum, ut præbatio n. 97. allata melius intelligatur, est sciendum, quod appellans ab interlocutoria non possit alias causas in appellatione prosecui, nisi nominatim duntaxat antea in ea expressas; prout habetur decisum cit. Clem. *Appellanti*. h. t. illis verbis: « Appellanti ab interlocutoria, vel gravamine iudicis, non licet alias causas prosecui quam in appellatione sua nominatim duntaxat expressas. » Hæc ibi. Concordat c. *Cum causam*. 61. juncta Glossa §. necesse est, ab initio exprimere causas appellationis in specie; uti patet consideranti.

100. *Nec tunc processus primi iudicis potest justificari vel impugnari ex actis novis, aut de novo producendis.* — Insuper sciendum est, quod in causa appellationis ab interlocutoria, non possit justificari, neque etiam impugnari ex actis novis, vel de novo producendis, sed ex illis duntaxat, quæ coram eo acta fuerunt, vel exhibita. Ita cit. Clem. *Appellanti*. h. t. post verba proxime allegata sic subjungens: « Nec processus primi iudicis ex novis, aut de novo probandis justificari potest, vel etiam impugnari: sed tantum ex iis, quæ acta fuerunt, vel exhibita coram ipso. » Hæc pontifex. Atqui ad hujus observantiam rursus necesse est, ut ab initio exprimantur causæ appellationis in specie; ergo.

101. *Regula illa, quod in appellatione ab interlocutoria debeat exprimi causa ipsius in specie, patitur plures limitationes?* — Resp. III. Nihilominus data conclusio, asserens, quod in appellatione ab interlocutoria debeat exprimi causa ipsius, seu illati gravaminis in specie; patitur plures limitationes, juxta illud vulgatum: « Nulla regula sine exceptione. »

102. *Fallit enim in appellatione ab interlocutoria habente vim diffinitivæ. Sententia interlocutoria habens vim diffinitivæ, regulatur secundum naturam diffinitivæ.* — Et primo quidem ipsa fallit in appellatione a sententia

interlocutoria habente vim diffinitivæ: quia hæc regulatur secundum naturam diffinitivæ. Alexander, consil. 182, n. 1, lib. VI; Gailus, lib. I. *Practic.* observat. n. 4. et 6; Pirhing, *de Sentent. et re judicat.* n. 2; Scaccia, d. quæst. 4. *de Appellat.* n. 28. et 37. post Francum, in cit. c. *Pervenit*. 28. et c. *Ut debitus*. 59. q. 14. n. 25. *de Appellatione*. intelligendo tamen istud sub limitatione data superius tit. præced. §. 1. n. 24. et 25. Atque ideo, sicut in appellatione a diffinitiva regulariter non est necesse, exprimere in specie causam ipsius, ita nec est necesse, hanc exprimere in appellatione ab interlocutoria habente vim diffinitivæ. Ita præter proxime citatos, Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. *de Appellatione*. n. 142. et 157. allegans insuper Baldum, in l. *Minoribus*. col. 3. c. *de his, quibus ut indignis*, etc. et alii. Atque ob eandem rationem, si ab interlocutoria habente vim diffinitivæ appelletur in continenti, potest appellari viva voce, sicut a diffinitiva. Scaccia cit. quæst. 4. n. 12. post Francum, d. c. *Ut debitus*. quæst. 7. n. 16. h. t.

103. *Fallit etiam in causis, in quibus proceditur summariter, ac de plano.* — Fallit secundo in causis, in quibus proceditur summariter, ac de plano: quia in his potest appellatio ab interlocutoria fieri non solum in continenti viva voce, seu sine scriptis, sed etiam valet, etiamsi non fuerit expressa causa gravaminis. Scaccia cit. quæst. 4, n. 10. et 11, et n. 37; Maranta, d. tit. *de Appellat.* n. 154. in Addit. *Follerii*. post Philipp. Francum, c. *Ut debitus*. n. 15. h. t.; Angelum consil. 267. et alios. Accedit ratio, quia causa appellationis est ejusdem naturæ, qualis est causa principalis; ergo, sicut in hac potest procedi positivis solemnitatibus juris non servatis, Clem. *Sæpe contingit, de Verb. signif.* ita dicendum de appellatione respectu causarum summarie, ac de plano tractandarum.

104. *Item, quando causa gravaminis consistit, in mero jure.* — Fallit tertio, quando causa gravaminis consistit in mero jure, adeo, quod nullam requirat probationem in facto; puta quando ex forma, tenore, et inspectione ipsius sententiæ, constat de gravamine: prout fieret, si in ea exprimeretur causa a jure reprobata; vel saltem de gravamine appareat præsumptione juris; ut si iudex interloquatur, sequestrem esse faciendum, quod tamen de jure regulariter est prohibi-